INDEX
CONCIONATORIUS

In Dominicas, & Feſta totius anni, Secundum Ordinem Evangeliorum, Catechiſmi, Concilii Tridentini, in gratiam, majoremque utilitatem Concionatorum, Parochorum, atque Catechiſtarum appoſitus, atque ita diſpoſitus, ut omnes Conceptus morales Concionibus ſervientes in Theologia hac Dogmatica, & Morali contenti, per exordia compendiata denotentur.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Erunt ſigna in Sole, & Luna. Lucæ xxi.

JUdicium Dei quamvis multiplex, ut ſacris patet Litteris; verum hic Chriſtus futurum extremum annuntiat Judicii diem. De quo ſigna hæc indicat præcedentia, ut homines ad futuri Judicis reverentiam adducantur, bene vivendo, conſcientiam ſemper mundam ſervando, futurum Judicem & timendo, & amando; non enim ſolum timendum Judicium ejus, ſed & amandum tradit D. Aug. Enarr. in Pſal. xxxvi. & Apoſtolus ad Titum ii. *Simus expectantes beatam Spem, & adventum gloriæ Magni Dei.* Vide Tom. 1. pag. 89. Item de Judicii generalis cauſſis, ibid. & ſeq.

Tunc videbunt Filium hominis. Judicandi poteſtas, etſi omnibus SS. Trinitatis Perſonis communis ſit, præcipue tamen eam Dei Filio tribuimus, cui etiam Sapientiam convenire dicimus, quamvis hæc tribus etiam perſonis communis ſit. Judicabit tamen Chriſtus non ſolum ut Deus, ſed etiam ut homo, juxta illud Joannis v. *Poteſtatem dedit ei Judicium facere, quia Filius hominis eſt.* Ante hunc autem Judicem non ſine confuſione omnia, & ſingula peccata ſtatuentur, *Arguam te* (inquit Dominus per Regium Pſaltem Pslm. xlix.) *& ſtatuam contra te faciem tuam*, ideſt, peccata, ut explanat ibidem D. Aug. Vide Tom. 1. pag. 80. & ſeq.

Tunc videbunt Filium hominis. Oſtendit hoc Sermone Salvator noſter omnes in die illa reſurrecturos, quod & omnes Catholici propria fide confitentur. In proprio corpore reſurgemus, omneſque viſuri tremendum hunc Judicem; verum non omnium reſurgentium par erit conditio. Unde Daniel Propheta Cap. xii. ait: *Ex iis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt illi in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Vide Tom. 1. pag. 109. & ſeq.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Joannes in vinculis. Matth. ix.

MIra res! Joannes Propheta, & pluſquam Propheta ſpiritu, vita Angelus, exemplar ſanctitatis, Juſtitiæ norma, ſpeculum pœnitentiæ, forma Juſtitiæ, duram, & aſperam ducens vitam, carceri mancipatur, catenis ferreis ligatus, lictorem exſpectans. Herodes vero impius deliciatur in Aula, adulteratur cum Herodiade, omnia circa ipſum aguntur proſpera; e contra circa juſtiſſimum, (& quo nemo ſanctior) Joannem, omnia adverſa, & contraria. Noli tamen mirari; divina enim providentia ſuas novit rationes, quare juſtos rebus adverſis plerumque jactari patitur: & reprobos e contra deliciis frui, ut aperte tradit D. Aug. lib. 1. De Civit. Cap. viii. *Placuit*, inquit, *Divinæ Providentiæ præparare in poſterum bona Juſtis, quibus non fruentur injuſti: & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni, &c.* Vide Tom. 1. pag. 36.

Joannes in vinculis. Non ſufficiebat Herodi impio Fratris uxorem rapuiſſe, nec in continuo, ac manifeſto adulterio vivere, inſuper cum arguitur a Joanne, carceribus, vinculis, immo morti juſtum, & ſanctum hunc adjudicat. Sic ab uno in aliud cecidit peccatum, divina utique id permittente Juſtitia, qua ſæpe peccatum peccati pœna redditur. Vide Tom. 2. pag. 151.

Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem? Præcurſorem ſuum laudat Dominus, quod non fuerit arundo, ideſt, adulator. Unde reſpondet Euſebius Emiſſ. *Non eſt arundo Joannes, columna eſt, non movetur vento... non flectitur adulatione, &c.* Conſtanter enim arguit Herodis adulterium, unde meruit a Domino laudari; diligit enim Dominus hujuſmodi conſtantes, contra vitia fortiter dimicantes: execratur autem e contra adulatores vitia palliantes, quare hi peccati mortalis reos ſe reddunt, in vitiis, & pravis moribus adulantes. Vide Tom. 2. pag. 512.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu quis es? Joann. 1.

INterroget homo ſemetipſum ſæpe: *Tu quis es?* Eſt enim ad imaginem Dei conditus, non ſolum etiam tenetur frequentes gratias pro creationis beneficio reddere, ſed & ſedulam curam gerere, ne imago Dei per pravos mores dehoneſtetur, ipſi ſoli ſervire, ſolum amare tenetur, tum omnia ab eo pro ipſo, ac pro ejus neceſſitate, & utilitate creata ſint. Unde D. Auguſt. in Pſalm. lxxix. ait. *Quid amas, ut Deum non ames? ama, ſi potes, aliquid, quod Deus non fecit. Circumſpice univerſam creaturam, vide utrum alicubi cupiditatis viſco tenearis, & a diligendo Creatore impediaris, niſi ea re, quam creavit ipſe quem diligis.* Vide de Creatione hominis, Tom. 1. pag. 14. & ſeq.

Ego baptizo in aqua. Etiam Baptiſmus Joannis magnam habuit virtutem, non tamen tantam, qualem a Chriſto Domino inſtitutus, ut Dogma Fidei perhibet. Quare de Joannis Baptiſmo Tertullianus lib. de Baptiſmo, Cap. x. ait, *Nihil cæleſte præſtabat, ſed cæleſtibus præminiſtrabat, pœnitentiæ ſcilicet præpoſitus, quæ eſt in hominis (utique divinitus adjuti) poteſtate, &c.* Vido Tom. 1. pag. 157. & ſeq.

Trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Solam, veramque aquam Baptiſmi legitimam materiam eſſe, dogma fidei eſt; unde in Jordanis aqua Baptiſma noſtrum præmonſtratum eſt, Spiritu Sancto præfigurante, cum Naaman Syrus in eo flumine ſepties lotus a lepra ſua mundatus eſt, gentes omnes a peccatorum maculis, ac fœditate, per ſeptiformem ejuſdem nominis gratiam, & operationem in Baptiſmo curandas, & purgandas. Qua de re D. Ambroſ. L. iv. in Luc. *Diſce* (inquit) *Baptiſmi gratiam Salvatoris, qui leproſus merſerat, fidelis emerſerit.* Vide Tom. 1. pag. 150. & ſeq.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Procurante Pontio Pilato. Luc. xiii.

INfelix illa Reſpublica impios habens ſuperiores Principes & Magiſtratus, nam eorum exemplo depravatur populus. Quare Principes, ac Magiſtratus ceterique ſuperiores omnino ſtudere debent pietati, & legi Dei ſe conformare, Eccleſiam non ſine zelo adminiſtrare. Vide Tom. 2. pag. 253. & ſeq.

Et venit in omnem regionem prædicans Baptiſmum. Quanto cum fervore, & ardore prædicaverit Joannes Baptiſmum, multum extollit ſacer noſter Evangeliſta Cap. 1. Hoc ergo exemplo diſcant animarum Curatores S. Concilii Tridentini monitu Baptiſmi neceſſitatem, atque utilitatem frequenter inculcare populo, cum Sacramentorum omnium extat primum, ſi non dignitatis, tamen neceſſitatis. Unde S. Cyprianus Epiſt. lxxiii. ait; *A Baptiſmo incipit omnis Fidei origo, & ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſſis, & purificandis Dei ſervis divina dignatio.* De hoc Sacramento, vide Tom. 1. pag. 149. & ſeq.

Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Cum Sacramentum Pœnitentiæ abſolute quidem minus ad ſalutem neceſſarium, tamen poſt Baptiſmum in lethale peccatum lapſis, ſive exterior, ſive interior, iterari poteſt, ut Sacroſanctum ſancivit Concilium Tridentinum Can. 1. Seſſ. xiv. Unde etiam ait Tertullianus lib. de Pœnit. Cap. vii. *Verum non ſtatim ſuccidendus, & ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecundæ Pœnitentiæ quis debitor fuerit. Pigeat ſane peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat.* Vide Tom. 1. pag. 330.

Prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ. Baptiſmi Sacramentum non ſolum neceſſitate præcepti, ſed vel maxime omnino neceſſitate medii neceſſarium eſſe, Fides docet Catholica; Confirmationis autem, ſi non neceſſitate medii, tamen præcepti: unde graviter, & lethaliter peccant hoc ſpernentes, & contemnentes. Hinc Jonas Aurelianenſis Lib. 1. de Inſtitut. laici, Cap. vii. ait; *Nequaquam a fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, ſed potius remoto tempore negligentiæ, cum magna animi aviditate, & devotione petenda, & percipienda.* Vide Tom. 1. pag. 261. & ſeq.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor. Lucæ ii.

VEre exemplar viduitatis extitit piiſſima hæc Anna, vidua, & Propheteſſa, quæ marito mortuo, non ſolum recuſavit ſecundas adire nuptias, inſuper totum viduitatis tempus in Dei impendit obſequiis. Hinc diſcant viduæ non tam facile ſecundas adire nuptias, hoc etiamſi minus prohibeatur, contrarium tamen frequenter conſulitur a SS. Patribus; quare hanc pro ſpeculo omnibus exhibet D. Ambroſ. Cap. 4. *Vides*, inquit, *qualis vidua prædicetur? cui diverſorium in templo, colloquium in prece, vita in jejunio*, &c. Vide Tom. 2. p. 76. & ſeqq.

Quæ non diſcedebat de templo. Continuo poſt mariti obitum manſit in templo vidua hæc devotiſſima, ibi Deo frequenter ſacrificabatur, illa non minus ſpirituale offerebat ſacrificium bonorum operum: *cum jejuniis & obſecrationibus, ſerviebat die, ac nocte.* Hinc imitare, Chriſtiane, ne deſiſtas etiam Deo hujuſmodi ſacrificium bonorum operum ſemper offerre, ut Deo ſemper reddaris magis, & magis gratus. De quo ſacrificio vide plura Tom. 2. pag. 317.

Et obſecrationibus vacans. Non ſolum vidua hæc ſacrificium bonorum operum obtulit: ſed inſuper beneficium piæ, ac devotæ orationis, quod Deo tam acceptum fuit, ut incarnatum Dei Filium videre meruit; patet hinc orationem non ſolum neceſſariam, ſed & ſumme fructuoſam, & utilem. *Deum precibus honoremus, & hoc eſt optimum & ſanctiſſimum ſacrificium.* Verba ſunt Clementis Alexandrini Lib. vii. Strom, Vide de Orat. Tom. 2. pag. 521. & ſeqq.

DOMINICA INFRA OCTAVAM CIRCUMCISIONIS.

Surge, & accipe puerum, & matrem ejus. Matth. ii.

CHriſtus Jeſus in utero Divæ Virginis a Spiritu Sancto conceptus, eodem momento Deus, & homo fuit, quem B. Virgo novem menſibus in utero ſanctiſſimo geſtavit, impleto pariendi tempore, peperit, Deum, ac hominem genuit. Id ab Angelo ei prædictum fuit D. Luca cap. 1. teſte. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis Nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & Altiſſimi filius vocabitur, ideoque quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Unde B. V. Maria vere Mater Dei & credenda, & profitenda eſt. Vide Tom. 1. pag. 56. & ſeq.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Secundum conſuetudinem diei Feſti. Lucæ ii.

CHriſtus Dominus ipſe legislator nulla lege, aut præcepto ligatus, diem obſervat Feſtivum, & ſollemnem cum parentibus ſuis ſanctiſſimis. Multo magis debent fideles Dominicis, & Feſtivis diebus cum attentione, & ſedula pietate viſitare Eccleſias, Miſſæ Sacrificio, divino verbo, ejuſque prædicationi, aliiſque piis, ac ſanctis intereſſe, ac adeſſe exercitiis: ad quæ (præcipue auſcultationem Sacri, ac Concionis) obligat, ac ligat præceptum Eccleſiæ, ut ſtatuit Sacrum Concilium Trid. Seſſ. xxii. & Seſſ. xxiv. de reformatione Cap. iv. Vide Tom. 1. pag. 282. & ſeqq. de Sacrificio Miſſæ, ejuſque Myſteriis eodem Tom. pag. 312. 298 & 295. Item de hoc præcepto, Tom. 2. pag. 411. & ſeq.

Cum JESUS factus eſſet annorum duodecim. Exemplum parentibus hic exhibetur, Filios, Filiaſque a teneris annis ad divinum frequenter ducere cultum, ad quod etiam in conſcientia obligantur; ſed proh dolor! hodiedum non tam ſolliciti ſunt pro ſuis Filiis, ut bonis imbuantur moribus, virtutibus reddantur divites; ſed potius omnem curam, & ſollicitudinem impendunt, ut reddantur divites auro, & argento, multas poſt ſe illis valeant relinquere divitias, quæ ſollicitudo illos ſæpe peccati lethalis reos facit; ut docent SS. PP. præcipue D. Cyprianus & D. Aug. quos videre licet T. 2. p. 163. & ſeq.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt. Joannis ii.

MAtrimonium vere legis novæ eſſe Sacramentum & ſicut alia Sacamenta conferre gratiam, dogma fidei eſt. Ita definivit Concil. Trid. Seſſ. xxiv. & in doctrina de Sacramento; ubi inter alia commemorat: *Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet: merito inter novæ legis Sacramenta numerandum Sancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt.* Vide Tom. 2. pag. 7. & ſeq. Quæ bona Matrimonii, vide pag. 17.

Vocatus eſt autem JESUS. Matrimonium, ad quod nemo obligatur tum lege poſitiva, tum lege naturæ, contrahere quidem licet: graviter tamen peccant, qui ad id contrahendum aliis moventur finibus, ac rationibus, præter eas, ob quas inſtitutum a Deo eſt: unde tale, nec fructuoſum, nec pacificum, eſſe poterit. Quare Angelus Raphael juniorem ita monuit Tobiam, Tob. vi. inquiens: *Oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, ut ſuæ libidini ita vacent, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Vide Tom. 2. pag. 4.

Et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Hic eſt primus effectus ebrietatis, quod ſcilicet hominem ratione privet, bene enim potus, ac inebriatus homo neſcit, quid, vel quæ circa ipſum agantur: unde deterius tam bene ſapit vinum, quam in ſobrietate prius ſapiebat, bonum, & optimum. Unde aperte patet gravitas hujus peccati, cum adverſatur eſſentiali homini, ideſt; rationi, & hominem quaſi non hominem reddat. Unde D. Petrus Chryſol. Serm. xxvi. ait: *Ebrietas eſt cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter eſt magiſtra. Hanc qui habet, ſe non habet, homo non eſt. Hanc qui habet, non facit peccatum, ſed eſt ipſum peccatum.* Vide Tom. 2. pag. 260. & ſeq.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Vade, & oſtende te Sacerdoti. Matth. iii.

LEproſus feliciter, pie, & confidenter acceſſit ad fontem medicinalem, ſanitatem optatam a Chriſto obtinuit: nihilominus, ut leproſum remiſit Dominus eum ad Sacerdotem, illi ut ſe quoque ſiſteret. Ex hoc myſterio quid aliud colligendum, quam quod etiamſi Chriſtianus per divinæ gratiæ infuſionem, ac per contritionem a peccatorum lepra purgatur, equidem ſe debeat ſiſtere ſacerdoti, per humilem, & Sacramentalem confeſſionem. Unde hac de re inter alia D. Auguſt. in Pſalm. lxvi. hæc tradit, .. *Tu cognoſce medicinam, confitere, exeat in confeſſione, & defluat omnis ſanies; jam lætare, quod reliquum eſt, facile ſanabitur.* Vide de neceſſitate Confeſſionis, Tom. 2. pag. 260. & ſeq.

Et offer munus tuum. Non ſolum leproſo mandavit ſacerdoti ſe ſiſtere, ſed inſuper etiam offerre munus præceptum a Moyſe. Sic quoque non ſatis eſt, ut peccator ſe ſiſtat Sacerdoti Confeſſario per Sacramentalem confeſſionem, ubi etiam abſolutionem obtinet: inſuper etiam obligatur ad ſatisfactionem, ad placandum Deum, quæ neceſſitas, non humano inſtituto, ſed divino præcepto impoſita eſt: hinc S. Auguſt. Ser. xx. *impunitum*, inquit *non poteſt eſſe peccatum, impunitum eſſe non decet, non oportet, non eſt juſtum: Ergo quia impunitum non debet eſſe peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo.* Vide Tom. 1. pag. 401 & ſeq.

Et acceſſit Centurio ad eum rogans eum. Pie pius hic Centurio ſupplicando accedit, piiſſimum, ac clementiſſimum Dominum, non pro ſe, ſed pro puero, ſive famulo ſuo ſalutem deprecatur, unde fidelem, ac ſincerum ſervi Dominum ſe oſtendit. Sunt officia Dominorum erga ſervos, & ſubditos, benevolentia ſincera, & caritas, ſicut & cura illorum in neceſſitatibus tum corporis, tum animæ, &c. de quibus officiis ſacra Scriptura varia tradit præcepta. Unde etiam ait Eccleſieſt. Cap. 7. v. 23. *Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquam illum*, Vide Tom. 1. pag. 401. & ſeq.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Ecce motus magnus factus eſt. Matth. viii.

CÆleſtis Magiſter cum diſcipulis in mari navigans ſuavem capiebat ſomnum: tempeſtas autem, divina utique permiſſa Providentia, coanguſtabat diſcipulos. Chriſtus *vero dormiebat*: ſed quare dormiebat, & maris tumultuationem diſſimulatione diſſimulabat? Docere voluit timoris non tam neceſſitatem, quam utilitatem; ut notat D. Thomas in Præſent. unde ait. *Erat autem hæc turbatio typus futurarum tentationum. Ut ergo daret locum formidini, ipſe dormiebat.* Vide de Timore Domini, Tom. 1. 208. & ſeq.

Et acceſſerunt diſcipuli ejus. Summa hac in anguſtia, proximum naufragii periculum notantes diſcipuli, ad Domini auxilium confugiunt: *Domine, ſalva nos, perimus.* O quot naufragii periculis nos circumdamur quotidie! quot

nos premunt animæ anguſtiæ! quid nobis ergo ſupereſt, quam ut cum diſcipulis Domini, in mundi hujus mari fluctuantes, frequenter, ac pie recurramus ad Dominum, auxilium humiliter deprecantes, ac ſeptimum articulum Orationis Dominicæ iterum, atque iterum repetentes: *Sed libera nos a malo*. Id quo modo, ac qualiter fieri debeat, vide Tom. 2. pag. 554.

Quid timidi eſtis modicæ fidei? Arguit diſcipulos Dominus, quod tam parum fidei, ſicut etiam ſpei haberent; ſi enim credidiſſent Dominum cœli, terræ, & maris eſſe in navi, utique ſperaſſent auxilium ejus infallibile. Sit ergo illorum reprehenſio noſtra inſtructio ſemper præſentiam Domini credentes, in auxilium ejus ſperantes, minus ob peccatorum multitudinem deſperare, ac conſideratione magnitudinis gloriæ ſupernæ puſillanimes reddi; ſed in cœlum, in Deum omnem ſpei anchoram emittere. *Contra tentationes hujus peregrinationis noſtræ, ſpes noſtra fundata in illa Civitate Jeruſalem, facit nos abripi in ſaxa*. Verba ſunt D. Aug. in Pſalm. lxiv. Vide Tom. 2. pag. 427. & ſeq.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Vis imus, & colligimus ea? Matth. xiii.

IN hac Evangelica Parabola non exigua oſtenditur ſervorum erga paterfamilias reverentia, ſicut & ſollicitudo circa bona ejus. Reverentia, cum niſi ejus conſenſu evellere cogitant zizania, monent Dominum ſuum, ut evellantur, antequam bonum ſemen, ſive triticum ſuffocet, ac infructuoſum reddat. Inde diſcant ſervi omnem honorem, obedientiam, & reverentiam exhibere Dominis ſuis, ad quod obligat illos tam bene Decalogus, ac filios reſpectu parentum, unde etiam Apoſt. ad Ephſ. iv. ait: *Servi obedite Dominis carnalibus, cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, &c.* Vide Tom. 2. pag. 430.

Sinite utraque creſcere. Non obſtante, quod Chriſti Eccleſia ſancta, Catholica, Apoſtolica, & ſanctificans dicitur, nihilominus & bonos, & malos complectitur: ſicut in agro hodierni Evangelii cum tritico zizania. Sic etiamſi in Eccleſia viri ſint ſancti, ac juſti, boni, bonumque operantes, non tamen deſunt mali; malos quidem Eccleſia continet, ac tolerat, nec tamen illorum criminibus violatur, a quibus abhorret, & propter quæ gemit. Unde S. Aug. Tract. lxi. in Joan. hæc tradit: *Injuſti ſecundum communionem Sacramentorum ſunt ex nobis, ſecundum ſuorum propietatem criminum non ſunt ex nobis*. Tom. 1. pag. 100.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. Matth. xiii.

MInimo ex ſeminibus quale eſt granum ſinapis, comparans Dominus regnum cœlorum inſinuat, Deum minima frequenter reſpicere, ideſt humilem; unde qui ſe humilem, ac parvum in corde ſemper oſtendit, a Deo reſpicitur, nam ait Pſaltes Regius Pſalm. cxxxvii. *Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit in cælo, & in terra*. Eſt enim Deus amans humilitatis, deteſtatur autem omnino ſuperbiam. Unde per Jeremiam ſuperbum ita alloquitur; *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum, quia venit dies tua, tempus viſitationis tuæ: & cadet ſuperbus, & corruet, & non erit, qui ſuſcitet eum*. Vide de ſuperbia, Tom. 2. pag. 130. & ſeq.

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. Non obſtante quod Chriſtus Dominus tam pie conatur inculcare humilitatem, non deſunt tamen, qui ſuperbia inflati, pro defenſione honoris etiam in minimo ſæpe læſi mortis cogitent vindictam. Nec ſe honoratos autumant viros, ſi non minimum etiam verbulum, per duellum, ſive publicum, ſive privatum vindicent, vel morte, vel ſanguine: ſed ſciant omnes homicidii formalis reos eſſe, ac graviſſimas contra ſe ſuſcitare Canonum Cenſuras. Vide Tom. 2. pag. 454.

Eructabo abſcondita cordis. Omnes Catholico Chriſtiani, ac fideles agnoſcunt, peccati mortalis reos ad confeſſionem obligari Sacramentalem. Nec tamen latere debent conditiones confeſſionis hujuſmodi: quarum prima integritas eſt, ſecunda circumſtantias, & numerum. Quare caveant, ne quidquam celent confeſſario, quem quidem decipere poſſunt, minus vero omniſcium Deum. *Eructabo* enim ait *abſcondita cordis a conſtitutione mundi*. Hinc bene D. Bernard. Serm. 40. de diverſ. ait: *Quid prodeſt partem peccatorum dicere; & partem celare?... Omnia nuda ſunt, & aperta oculis Dei, & tu illi aliquid abſcondis, qui Dei locum obtinet in tanto Sacramento? Oſtende, denuda, quæcumque cor tuum dilacerant: detege vulnus, ac ſentier operam medicantis*. Vide de integ. Confeſſ. T. 1. p. 44. & ſeq.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Vidit alios ſtantes in foro otioſos. Matth. xx.

NOtanter hic dicitur, Patremfamilias in foro otioſo reperiſſe, non in ædibus, Proprium, ac commune hoc eſt otioſis, quod in ædibus non habentes requiem, forum communiter adeant, ut fabulentur, quid novi percunctentur, vanis occupentur aliorum colloquiis, res, actioneſque alienas inquirant, nullis negotiis occupati, aliis negotia faceſſunt, turbant familias, vel Rempublicam, vel Eccleſiam, inquieti animi deſultoria levitate. Hujus tamen mali complices ſunt hodiedum mulieres, *Quæ* (ut ſcribit Apoſt. 1. ad Timoth. 5. *otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, loquentes, quæ non oportet*. Vide Tom. 2. pag. 282. & ſeq. de Otio, & remediis contra Accediam.

Murmurabant adverſus Patremfamilias. Exiverat hic Paterfamilias ſummo mane, ubi conduxit operarios in vineam ſuam pro denario: ſimiliter etiam conduxit circa tertiam, circa ſextam, & undecimam; cum autem ſero factum, vocatis operariis tantum dedit circa undecimam miſſis in vineam, ac etiam ſummo mane conductis: nulli fecit tamen injuriam, primis enim niſi denarium promiſerat, & de denario cum eis convenerat: equidem murmurant hi de bono, & gratuito noviſſimorum contriſtati. Hæc eſt natura invidiæ, *Qua quis contriſtatur de bono alterius, perinde ac ſi malum noſtrum eſſet*, ut definiunt Theologi, recte hic Greg. lib. 5. Moral. 31. *Invidere enim non poſſumus*, inquit, *niſi eis, quos meliores nobis in aliquo putamus*. Vide Tom. 2. pag. 233. & ſeq.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Quod autem inter ſpinas cecidit. Lucæ viii.

SEmen inter ſpinas cadens fructum ferre nequit, cum ab eis ſuffocatur. *Semen* hoc (ipſa incarnata ſapientia teſte) eſt *Verbum Dei*, ſpinæ autem illud ſuffocantes ſunt divitiæ, quas cum homo avarus nimia ſollicitudine quærit, Verbum Dei fructuoſe audire nequit. Hinc bene D. Chryſoſt. Homil. 29. in Matth. *Quid enim*, inquit, *miſerius avaro? nam etſi quotidie Chriſtum audit prædicantem; non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ; etſi terror gehennæ incutitur, ac inferni pœna imminere dicuntur, non credit tamen Chriſti verba*. Unde merito peccati lethalis rei ſunt in divitiis ſpem omnem collocantes. Vide Tom. 2. p. 158. & ſeq.

Inter ſpinas cecidit. Spinis non incongrue divitiæ aſſimilantur, hæ enim frequenter, & acriter pungunt: ſic etiam divitiæ, cum propter eas non raro graviſſimæ excitentur rixæ, ac lites judiciales. Sciant tamen Chriſtiani quotquot propter res temporales lites quærunt, avaritiæ lethalis, vel venialis, ſi dici poſſit, reos eſſe. Vide Tom. 2. pag. 167. & ſeq.

A ſollicitudinibus & divitiis. Solent modo Clerici multa bona ex Beneficio Eccleſiaſtico congregare, ut augeatur patrimonium, & ditentur familiæ. Quare ſe etiam a Deo alienos, ac lethalis avaritiæ reos reddunt. Vide Tom. 2. pag. 167. & ſeq.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Ecce aſcendimus Jeroſolymam. Lucæ xx.

CUm hiſce diebus mundani homines deliciis, & voluptatibus ſe dant totos, Pia Mater Eccleſia in memoriam adducit amariſſimam Chriſti Domini Paſſionem, qui cœleſtem deferens voluptatem, fragilem noſtram aſſumens carnem, acerbiſſima pro nobis pati voluit, non ſolum in carne, verum & in anima, ut viam cœli nobis patefaceret, quæ non voluptatibus, ſed paſſionibus teritur, Unde D. Petrus Apoſt. Epiſt. 1. Cap. 2. *Chriſtus*, inquit, *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Vide de acerbitate Paſſionis Tom. 1. p. 61. & ſeq. vel de imitatione Chriſti pag. 187. & quomodo exemplum virtutum omnium in Paſſione enituit; p. 67. & ſeq.

Illudetur, & flagellabitur. Non minus Bacchanaliorum temporibus dominatur etiam inter Chriſtianos, proh dolor! gula, contra quam fructuoſiſſimum remedium eſt commemoratio Paſſionis Chriſti. Unde Joannes Climacus Scalæ ſuæ Myſticæ gradu 14. conſulens temperantiam comparandam ex meditatione Paſſionis: *Si Chriſto*, inquit, *te per anguſtam, & aſperam ſalutis viam ambulaturum eſſe pollicitus es, appetitum tuum temperantia compeſce.... attende diligentius ad verba ex ipſius ore profecta*. Lata, & ſpatioſa via eſt, *genialium ſcilicet epularum*, quæ ad interitum *luxuriæ* deducit: *ex adverſo*, quam anguſta, & arcta via eſt *abſtinentiæ*, quæ ducit ad vitam caſtitatis, & pauci ſunt, qui intrant per eam . . . Quare paullo poſt inter hæc ſubjungit... *Ubi poculum acceperis habiturus, memineris acetum, & fel Jeſu Chriſto oblatum; atque ita ſobrietatis limites non tranſiliens*, &c. Vide de gula Tom. 2. pag. 257. De remediis contra eam, pag. 259. Item de compotationibus, & conviviis, pag. 260. Item quam periculoſæ Comœdiarum ſpectationes, ſpectaculorum frequentationes, ſicut & Choreæ, & ſaltationes. Tom. 2. pag. 477. 479. & ſeqq. vel de Temperantia. Tom. 2. pag. 296. & ſeqq.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Matth. iv.

CUM omnes præcepto Eccleſiæ ligamur, atque adſtringimur ad jejunium Quadrageſimale, Chriſtus tamquam dux, & exemplar nobis proponitur: non enim pro ſe, ſed pro nobis jejunavit, & non una die, ſed quadraginta diebus. Trahat ergo nos ad imitationem, non tam Præceptum Eccleſiæ, quam pius affectus: multum enim boni lucramur per jejunium, ac macerationem carnis. Unde D. Ambroſius mirifice extollit, atque deprædicat excellentiam, atque utilitatem jejunii, Lib. *De Elia, & jejunio*. Ubi hæc inter alia habet Cap. 1. & 2. *Magna virtus eſt Jejunii. Tam ſpecioſa ejus militia eſt, ut jejunare delectaret & Chriſtum, tam valida, ut ad cœlum homines erigeret, &c.* Vide de Jejunio Tom. 2. pag. 403. & ſeq. & pag. 415.

Et accedens tentator. In omnibus verum exemplar humilitatis ſe oſtendit Chriſtus Dominus; unde etiam non dedignatus fuit peſſimi dæmonis admittere acceſſum, ac tentationem, nullam tamen victoriam. Quomodo autem ſuperbiæ princeps contra humilitatis magiſtrum argumentatus ſit, ſubtiliter exponit D. Greg. Lib. 34. *Moralium* Cap. 18. de quo vide Tom. 2. pag. 137. & ſeqq.

Et accedens tentator. Omne quod in mundo (ait D. Joan. Epiſt. 1. Cap. 2.) *aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*. In his ſumma malitia ductus protoparentes noſtros tentavit, & ſuperavit tentator peſſimus: eodem modo etiam aggredi Salvatorem noſtrum non erubuit, ut hodiernum atteſtatur Evangelium. Concupiſcentia enim carnis, cum ajebat: *Dic ut lapides iſti panes fiant*, primitus aggreſſus eſt. Dein concupiſcentia occulorum cum regna omnia oſtendit mundi; ſuperbia vitæ, ſtatuens ſuper pinnaculum templi, & dicens ei: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim, Angelis ſuis mandavit de te*. Sed Chriſtus Dominus, fortiter, ac conſtanter reſiſtens ſemper retudit, *Vade Satana*. Sic ſequaris Chriſti exemplum, ſi non convictus, ac ſuperatus, æternum perire vis. Vide Tom. 2. pag. 130. & ſeqq.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Etiamſi Chriſtus Dominus verus Filius æterni Patris obediens extitit uſque ad mortem, non tamen ſervus nuncupandus, ſed Dominus. Et ſi Propheta ſervum nominat: *Non tamen ex conditione ſervitutis, ſed ex humilitatis obedientia, qua Patri factus obediens uſque ad mortem*, ait Synodus Francofordienſis, qua obedientia nos a ſervitute Diaboli liberavit, & ſibi in ſervos comparavit: quare merito ei ſoli ſervire tenemur: quod & libenter faciemus, non ut ſervi ſub lege, ſed ut liberi ſub gratia ſimus ſoli Deo, ipſi ſoli ſerviamus, non ex timore, ſed caritate. Unde ait Orig. in Cap. 1. ad Rom. *Quilibet vacatus eſt ſervus Chriſti; quid eſt autem ſervus eſſe Chriſti? Sapientiæ, Juſtitiæ, Veritatis, & omnium omnino virtutum, &c.* Vide Tom. 1. p. 50. & ſeq.

Vade Satana. Inſidiatur hodiedum adhuc frequenter Satanas Chriſtianis, ut infructuoſum reddat jejunium, & in hoc pro efficaci medio utitur cogitatione vindictæ, quam ſuggerit Chriſtianis: ſed bonus Chriſtianus, dicit, *vade Satana*: non quærit, ſed abiicit omnem vindictam, cum qua infructuoſum redditur jejunium. Vide Tom. 2. pag. 426.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Hic eſt Filius meus dilectus. Matth. xvii.

VOx hodierna utique Patris intonans teſtimonium perhibet, Chriſtum verum Filium Dei Patris, non adoptivum, ſed connaturalem; nos vero per ipſum redditi ſumus adoptivi, ut ipſum audientes reddamur regni cœleſtis comparticipes. De primo diſerte perorat S. Leo Papa Serm. 94. ſive Hom. de Transfiguratione. *Hic eſt Filius*, inquit, *non adoptivus, ſed proprius, & non aliunde creatus, ſed ex me genitus*. De ſecundo vero D. Aug. Tract. 2. in Joan. *Unicus eſt*, inquit, *& Noluit manere unus*, &c. reliqua vide Tom. 1. p. 50. & ſeq.

Nemini dixeritis viſionem hanc. His in verbis piiſſimus Salvator aperte docet, quomodo vana gloria in omnibus fugienda, nec ſolum id docuit verbis, ſed & factis. Nam non ſolum & hanc viſionem mirabilem, ſed & alia ſæpe celari voluit miracula. Unde Matthæi 8. Leproſo a ſe mundato dixit, *Vide nemini dixeris*; & Matth. 9. Cæco, & muto, *præcepit, ne cui diceret*. Sic quoque transfigurationem diſcipulos ſilentio aſſervare jubet uſque ad diem reſurrectionis. Hoc ergo exemplo diſcat Chriſtiana anima vanam hominum laudem abhorrere, vanam fugere gloriam, ut veram feliciter adipiſci queat. Vide de vana gloria, & quomodo expugnanda, Tom. 2. p. 138. & ſeqq.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

In Belzebub Principe Dæmoniorum ejicit dæmonium. Lucæ 11.

HAnc dictionem graviſſimam, & in re fuiſſe blaſphemiam in Chriſtum, utpote verum Deum divina poteſtate ejicientem dæmonium, manifeſte patet: Siquidem, *blaſphemia* (ut definitur a Theologis) *eſt maledicentia, qua divinæ bonitati, vel excellentia ex malo voluntatis affectu derogatur*. Quicumque ergo aliquid negat Deo, quod ei convenit, vel imponit, quod non convenit, blaſphemat, peccatque contra ſecundum Decalogi Præceptum. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. De quo vide Tom. 2. pag. 384. & ſeq. & pag. 398. & ſeq.

Locutus eſt mutus. Cum omnes Chriſtifideles præcepto confeſſionis ſemel ad minus in anno ſint adſtricti, optat vehementer pia mater Eccleſia, ut fideles in initio quadrageſimæ Sacramentalem edant Confeſſionem: ut qui per totum annum fuerunt muti, nunc diſcant loqui, ideſt, peccata ſua confiteri, & ad inſtans magnum Feſtum Paſchale ſe præparare. Ita declaravit Concil. Trid. Seſſ. 14. Cap. 5. *Jam in univerſa*, inquit, *Eccleſia cum ingenti animarum fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili tempore quadrageſimæ. Quem morem hæc ſancta Synodus ... Tanquam pium, & merito retinendum amplectitur*. Vide Tom. 1. pag. 362. & ſeq.

Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Quam grave malum ſit frequens nimis in peccatum lapſus, quam infelix ex conſuetudine peccantium ſtatus, hoc in Evangelio æternus Salvator noſter exponit. Hinc etiam Paralitico a triginta, & octo annis membrorum uſu deſtituto, ac decumbenti, figuram gerenti peccatoris conſuetudinarii, poſtquam ſanitatem optatam reſtituiſſet: dixit, Joann. 5. *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*. Inde ergo niſi ſapere velint, neganda eſt abſolutio, ſi ſemper ſe ſine efficaci ſpe emendationis de iiſdem accuſant repetitis peccatis. Vide Tom. 1. pag. 362. & ſeqq.

Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Cum peccavimus, & de hoc pœnitentiam egimus, per humilem confeſſionem, veniam, & gratiam obtinuimus, non quieſcit diabolus ad peccatum nos iterato inducere: verum cum nos noſtra infirmitas ab hujuſmodi machinationibus, inſidiis, atque tentationibus reſiſtendum non ſufficientes reddit, ne per ralapſum res noſtra reddatur pejor, certum ſubſidium, atque auxilium inquirendum eſt; & hoc quomodo quærendum apud Dominum Deum, ſine quo nihil ſumus, nihil valemus, ſuggeſſit nobis piiſſimus, ac cœleſtis magiſter apud D. Matth. Cap. 6. in oratione Dominica ultimo Articulo. *Et ne nos inducas in tentationem*: de quo vide Tom. 2. pag. 574.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Abjit JESUS. Joannis vi.

OMni ſtudio cavere debet Chriſtianus, ne de ſe dicatur: *Abiit JESUS*. Eſt enim ipſe via, & veritas: non tamen recedet a nobis niſi lethaliter peccaverimus, tunc enim a nobis recedit, conſequenter vita, via, veritas animæ. Nam ut ait D. Petrus Chryſologus Serm. 19. *Quod eſt anima corpori, hoc eſt Chriſtus animæ: ſine anima corpus non vivit, non vivit anima ſine Chriſto*. Tantum itaque operatur, & efficit in nobis peccatum, hic fructus, hic effectus ſat lamentabilis. Vide Tom. 2. pag. 92. & ſeq.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Triduo ſeſe ſequentem populum cibo indignum eſſe reſpiciens ſtatim notavit Chriſtus Dominus. Certum eſt cibo, utpote ad ſuſtentationem neceſſario, diu carere neminem poſſe. Sicut hic cibus corporalis ad alendum corpus valde, ſummeque eſt neceſſarius, ſic cibus animæ panis Euchariſticus eſt neceſſarius ad ſuſtentandam animam, unde hic non minori aviditate exoptandus, & quærendus, ac etiam alius: quare ad frequentem ſuſceptionem Sacramenti Euchariſtiæ urget, ac commonet ſancta mater Eccleſia, maxime feſtivis Dominicis, ſacriſque, tam Adventus, quam Quadrageſimæ temporibus, cujus exemplum habemus in primitivæ Eccleſiæ fidelibus: de quibus referunt Acta Apoſtolorum Cap. 11. Quod *erant . . . perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. De quo vide Tom. 1. p. 272. Item frequens Communio quibus permittenda, morales regulas vide pag. 274.

Fugit. Poſtquam vidiſſet, agnoviſſetque liberaliſſimus Dominus, quod cogitarent, viſo tanto miraculo, illum in

Regem conſtituere, ac præponere, *Fugit*. Nobis utique in hoc relinquens exemplum contemnendi honores, & dignitates, averſandique periculoſam ambitionem. Unde optime ait Tertull. ad hunc locum alludens, Lib. de Idololatria Cap. 18. *Ille Dominus ſi poteſtatis jus nullum ne quidem in ſuos exercuit, quibus ſordido miniſterio functus eſt; ſi Regem fieri conſcius ſui Regni refugit, pleniſſime dedit formam ſuis, &c.* Vide de motivis abhorrentibus ab Ambitione, Tom. 2. pag. 154.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis . . . . arguet me de peccato? Joan. VIII.

VEre, & palam id dicere valebat Chriſtus Dominus; erat enim non ſolum verus homo, ſed & verus Deus; Deus autem nec poteſt facere, nec facit peccatum, nec peccati extat auctor, ut dogma tradit fidei, abundeque probari valet ex Sacra Scriptura. Deut. enim 32. ait *Moyſes: Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia. Deus fidelis, & abſque ulla iniquitate, juſtus, & rectus.* Item Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Vide Tom. 2. pag. 83.

Ego Dæmonium non habeo. Humili hoc, ac ſuavi Reſponſo notiſſimus Salvator magnam oſtendit benignitatem, verum maxime patientiam; cum contra hæc graviſſima convitia, nec quidquam indignationis, multo minus reconvitii repoſuit, ſed humiliter innocentiam, illatamque injuriam aperuit. Nos utique docere volens adverſa, etiam convitia patienter ferre, minus convitia conviitiis reddere, etiamſi ab altero ad hoc provocamur; hoc enim minus a peccato lethali excuſat. Juxta illud Prov. 6. *Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris*: Et Luc. 6. *Benedicite maledicentibus vobis.* Vide Tom. 2. pag. 276. Item quomodo patientia optimum remedium contra Iram, pag. 274. & ſeqq. atque 294.

Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum. Ad hunc textum notat D. Ambroſius Lib. 2. de Abraham, Cap. 3. Abrahamo reputatum eſſe ad Juſtitiam, quia rationem Incarnationis Chriſti Domini non quæſivit, ſed promptiſſima fide credidit, & hoc eſt, quod Chriſtus hodierno in Evangelio ſingulariter commendat. Unde docemur nos in credendo promptos oſtendere, nec temere rationes ſemper velle requirere. *Bonum eſt, ut rationem præveniat fides* (verba ſunt D. Ambroſ.) *ne tanquam ab homine, ita a Domino Deo videamur rationem exigere*, &c. Vide Tom. 1. pag. 11. & ſeq.

DOMINICA IN RAMIS, SEU PALMARUM.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, Matth. 21.

SEdens ſuper aſinam manſuetus Rex cœleſtis, ac divinus magiſter omnium virtutum in triumphali hodierno ſuo ingreſſu in Jeruſalem duas præcipue virtutes oſtendit imitandas, manſuetudinem ſcilicet, & humilitatem; quæ non ſolum Superioribus ſunt neceſſariæ, ſed & omnibus, & ſingulis. Unde Dominus venit manſuetus, venit humilis; manſuetus, ut manſuetudinem, humilis, ut humilitatem ſectari diſceremus. Juxta illud Matth. 11. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et vel maxime ideo, quia ut hic ait D. Thomas, Deus ſuperbos non reſpicit, rejicit, ac ſpernit, juxta illud Cantici B. Virginis. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Humilitas autem eſt omnium virtutum doctrix, hanc qui poſſederit, cetera reliquarum virtutum membra facile poſſidebit, ait D. Chryſoſt. hom. 48. Et Arnoldus Bonæ Vallis Abbas Serm. de Nativ. Domini. *Humilitas, inquit, eſt primus Religionis introitus, ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus: ut quicunque vult pie vivere, humiliter de ſe ſentiat.* Vide de humilitate, Tom. 2. pag. 140.

Ecce rex tuus venit tibi manſuetus. Solemnem hodiernum Chriſti Domini introitum ſi accuratius perluſtramus, non ſolum humilem, & manſuetum fuiſſe notamus, ſed inſuper omnis generis virtutum norma, ac forma exhibita eſt; non enim ſolum venit humilis, venit manſuetus, verum enim venit modeſtus, venit clemens, venit benignus. Unde non incongrue Chriſtum tamquam exemplar, & ſpeculum horum virtutum proponere licet, ſimulque ad imitationem adhortari, quæ ut melius, ſive meliori modo efficax fiat, explanandæ ſunt ſingulæ virtutes, quæ alias ſub virtute temperantiæ continentur, ut videndum Tom. 2. pag. 297.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

PRO hac die materiam copioſam vide Tom. 1. pag. 60.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Surrexit, non eſt hic. Marci XVI.

GLorioſa, ac triumphali hodierna die ſumma omnipotentis Dei luceſcit poteſtas pariter, & auctoritas. Nemo enim hominum virtute propria ſeipſum ad vitam revocare valet, ſoli divinæ poteſtati proprium eſſe apparet hodie. Cum autem cum Patre in Chriſto fuerit divinitas, conſequenter poteſtas, atque auctoritas; ſi ergo Pater reſuſcitavit (ut dicitur) Filium, neceſſe quoque fuit Filio ſeipſum reſuſcitare. Qua de re præclare diſſerit S. Aug. Serm. 62. De Verbo Dom. *Nullus* inquit, *mortuus eſt ſui ipſius ſuſcitator; ille potuit ſe ſuſcitare, qui mortua carne mortuus eſt . . . Non enim Pater ſolus Filium ſuſcitavit, de quo dictum eſt ab Apoſtolo, Philip. 2. Propter quod & Deus exaltavit eum: ſed Dominus etiam ſe ipſum, ideſt Corpus ſuum ſuſcitavit.* Vide Tom. 1. pag. 80. & ſeq.

Nolite expaveſcere. Ait Angelus ad ſepulcrum apparens mulieribus, nolite timere, nolite mirari, quia Dominus, quem vos quæritis, *reſurrexit*, quod omnino neceſſarium fuit ob oſtenſionem Juſtitiæ divinæ, ad confirmandam Fidem noſtram, ad ſpei noſtræ ſuſtentationem; unde S. Aug. Serm. 313. de Temp. ait; *Chriſtus in paſſione docuit, quid toleremus, in Reſurrectione oſtendit, quid ſperemus. Hic opus, ibi merces; opus in Paſſione, merces in Reſurrectione.* Vide tom. 1. pag. 80. & ſeq.

Surrexit, non eſt hic. In Chriſti Jeſu Salvatoris, ac Domini noſtri Reſurrectione non ſolum eum eſſe mortis, & diaboli victorem, immortalem, plenum gloria, Filium Dei unigenitum cognoſcimus; ſed etiam maximas ex hoc myſterio conſequimur utilitates, reſurrectionem ſcilicet corporum, & animarum, cum per pœnitentiam anima reſuſcitatur e tumulo peccatorum, hæc enim in eodem tumulo amplius non debet inveniri, ſed continuo intonari, *Surrexit, non eſt hic.* Audi S. Aug. Serm. 231. alias de Tempore 141. *Modo ergo*, inquit, *cum in iſta corruptibili carne vivimus, morum mutatione cum Chriſto moriamur, amore Juſtitiæ cum Chriſto vivamus, &c.* Vide tom. 1. pag. 83. & ſeq.

FERIA II. PASCHÆ.

Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Lucæ XXIV.

IN die illa una ſabbatorum duo Diſcipuli Chriſti Domini per agrum ambulabant triſtes, lamentabiles moventes diſcurſus, quomodo Magiſter eorum dulciſſimus a Juda proditore Judæis impiis traditus, per plateam ab uno Pontifice ad alium raptus, ac tractus, tandem Pontio Pilato traditus, ejus juſſu, ac mandato flagellatus, ab inſolentibus miniſtris illuſus, ſpinea corona coronatus, & tandem innocenter ad mortem, mortem quidem ignominioſiſſimam, ſcilicet crucis, condemnatus fuit; mortem hanc quis non lugeret, quis non defleret? En adeſt ipſis Chriſtus, cauſſam triſtitiæ percontatur: *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Illis annuntiantibus cauſſam eſſe mortem Domini, reſpondit arguitive: *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati?* ac ſi diceret: quid eſtis triſtes, mors enim Chriſti non eſt cauſſa triſtitiæ, ſed lætitiæ, quia ex illa ingentia commoda, & bona, quaſi ex ſacro fonte emanarunt, v. gr. liberatio a peccato, liberatio a diaboli tyrannide, &c. Vide tom. 1. pag. 65. & ſeq.

Nonne hæc oportuit Chriſtum pati? Oportebat quidem Chriſtum pati, atque pro nobis mori; ut ejus morte nos a morte liberaremur; oportebat pati, ut nos a pœna æterna eſſemus liberi: verum non ſolum immenſum hoc ex Paſſione eluceſcit, ac apparet beneficium; ſed inſuper etiam clariſſimum virtutum exhibetur exemplum, caritatis ſcilicet, patientiæ, humilitatis, obedientiæ & conſtantiæ. Unde etiam poſt cœnam ante mortem ad diſcipulos dixit, ut refert D. Joann. Cap. 13. *Vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſunt etenim. . . . Exemplum dedi vobis, &c.* Vide tom. 1. pag. 67. & ſeq.

Et ipſe finxit ſe longius ire. Vel maxime notatu dignum S. Evangeliſtam non dixiſſe Chriſtum ſimulaſſe, ſed finxiſſe; non enim omnis fictio eſt ſimulatio niſi improprie dicta, quæ ſi ſit ad aliquid ſignificandum, ſive ad occultandum verum, quod minime neceſſe, divulgare non eſt peccatum. Econtra vero ſimulatio proprie dicta quæcumque eſt peccatum; de qua vide tom. 2. pag. 509. & ſeq.

FE-

FERIA III. PASCHÆ.

Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Lucæ XXIV.

BEata Chriſti anima tertia die poſt ſeparationem ſuam a corpore, illud iterum reſumpſit glorioſum; & non ſolum glorioſum, ſed & verum, cujus veritatem abunde probant figuræ vulnerum, veſtigia cicatricum, quæ diſcipuli omnes congregati, ac præſentes viderunt. Thomas autem palpavit; ad videndum enim, atque palpandum hodie liberaliſſime Dominus ſe exhibuit: unde maxima etiam Chriſti ex reſurrectione apparet gloria. Quare ait D. Joan. in ſua Epiſt. 1. Cap. 1. *Quod vidimus, & audivimus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis.* Vide tom. 1. pag. 82. & ſeq.

Sic oportebat . . . . prædicari pœnitentiam. Catholicæ Fidei Dogma eſt, Concilii Trid. definitione contra Calvini Hæreſim firmatum Seſſ. 7. c. 2. Sacramenta novæ legis a Sacramentis veteris legis, non ſola externorum rituum diverſitate differre, ſed etiam, quia hæc ex virtute Paſſionis gratiam præfiguratam conferunt: ut explicat Eugenius hujus nominis quartus Summus Pontifex in Decreto ad Armenos. *Quod illa non cauſſabant gratiam, ſed eam ſolum per Paſſionem dandam præfigurabant; hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.* Unde completa Paſſione, poſtquam Chriſtus reſurrexit, hanc oportere prædicari gratiam gentibus dictitat, atque diſcipulis mandat. Vide tom. 1. pag. 125. & ſeq.

DOMINICA IN ALBIS.

Inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum. Joan. XX.

SPiritum Sanctum bis dedit Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis, poſt reſurrectionem ſcilicet ſuam, & poſt Aſcenſionem. *Unum autem* dedit, & unus dedit, unitati dedit, & tamen bis dedit. Bis autem dedit Spiritum S. ut duo Præcepta caritatis commendaret, Caritatis nempe Dei & proximi. Unde eleganter diſcurrit D. Aug. Lib. 8. de Trinitate Cap. 8. *Una caritas*, inquit, *& duo præcepta: unus Spiritus, & duo data. Non enim alius datus eſt prius, & alius datus eſt poſtea, quia non alia caritas diligit proximum, quam illa, quæ diligit Deum; ſed quia aliud eſt Deus, una caritate diliguntur, non ſunt tamen unum, quæ diliguntur; quia ergo magna eſt primitus commendanda dilectio Dei, ſecundo dilectio proximi; a ſecunda autem incipitur, ut ad primam perveniatur.* Vide Tom. 1. p. 94. & ſeq.

Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Chriſtus Dominus omnem habens poteſtatem, poteſtatem non minimam communicavit hominibus, nempe poteſtatem remittendi peccata: non tamen hæc poteſtas data eſt, niſi pro iis, qui de peccatis pœnitentiam agunt, emendationis firmum habent propoſitum, cor, & animum a terrenis avertunt, peccatum deteſtantur: ſine enim pœnitentia hujuſmodi abſolutio vix erit efficax, unde potius neganda, vel differenda a Confeſſariis, donec ſpes emendationis appareat. Audi Richardum a Sancto Victore, in Tractatu de ligandi, & ſolvendi poteſtate Cap. 6. *Multi*, inquit, *confitentium abſolutionem quærunt, qui tamen crimina ſua ex toto corde deſerere nolunt. Ejuſmodi omnes, eo quod vere non pœnitent, proculdubio abſolvi non debent. Hoc eſt enim vere pœnitere, de præterita prævaricatione dolere cum firmo propoſito confitendi, ſatisfaciendi, & cum omni cautela in poſterum cavendi. In hunc modum pœnitentes merito debent abſolvi; alioqui ſine abſolutione remitti.* Vide Tom. 1. pag. 418. & ſeq.

Quorum remiſeritis peccata. Hiſce verbis inſtituit Chriſtus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ, cum diſcipulis ligandi, atque ſolvendi tradidit poteſtatem. Unde patet pœnitentiæ Sacramentum poſt reſurrectionem a Chriſto inſtitutum, vere novæ legis, a Baptiſmo diſtinctum eſſe Sacramentum, interque ſeptem Sacramenta connumerandum, quod dogma fidei eſſe demonſtrat Sacrum Concilium Tridentinum Seſſ. 14. Cap. 1. & 3. *Si quis dixerit verba illa Salvatoris; Accipite Spiritum Sanctum, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & detinendi peccata, in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra hujus Sacramenti inſtitutionem ad auctoritatem prædicandi Evangelium, Anathema ſit.* Vide Tom. 1. pag. 329.

Quia JESUS eſt Chriſtus Filius Dei. Notanter hic præter nomen *JESUS*, *Chriſtus* apponit Sacer Evangeliſta, & non ſine Myſterio: Chriſtus enim unctum ſignificat, quod & Officii & honoris nomen eſt. Ungebantur namque olim Prophetæ, Sacerdotes, ac Reges. Cum ergo Salvator noſter in mundum venit, Prophetæ, ac Doctoris, Sacerdotis, ac Regis partes in ſe ſuſcepit, idcirco *Chriſtus* dictus eſt; unctus ſcilicet ad illorum munerum functiones, non quidem alicujus mortalis opera; ſed cœleſtis Patris virtute, de quo vaticinatus eſt olim Vates Regius Pſal. 44. his verbis: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Vide Tom. 1. pag. 44.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego cognoſco eas. Joan. X.

TAm perfecte cognoſcit oves ſuas, ideſt fideles, ut ſciat; qui ſunt ejus, quos ſibi elegerit, & ex illis, quos dedit illi Pater, non perdit quempiam, nec oves ejus quiſquam de manu ejus rapiet: Quia *cognoſcit eas*, *vitam*, inquit, *æternam do eis*, non peribunt in æternum. Verum etſi ita Deus noſcit numerum prædeſtinatorum, nemo ob hoc debet vel deſperare; vel temere præſumere. Hinc Apoſtolus Philip. 2. 12. ait: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.* Et S. Auguſtin. Lib. de Corrept. & gratia Cap. 7. & 9. *Ne forte*, inquit, *quis extollatur, ſed etiam omnes, qui bene currunt, timeant, dum occultum eſt, qui perveniant.* Vide Tom. 1. pag. 38. & ſeq.

Et fiet unum Ovile, & unus Paſtor. Cum cœleſtis Magiſter hoc in Evangelio ovile unum ſub uno Paſtore futurum prædicit, abſque dubio unam ſanctam, puta Catholicam, in Sanguine ſuo ſanctificatam, & per hunc nos ſanctificantem Eccleſiam. Hæc enim ſola, Catholica, Apoſtolica, una, unius capitis eſſe prædicatur, a cujus communione Hæretici, Schiſmatici excluduntur. Excluſi autem ab hac una, uniuſque capitis Eccleſia nequaquam ſalvantur. Unde S. Optatus Milevitanus Lib. 13. *Domus Dei*, inquit, *una eſt, qui foras exeuntes partem facere voluerunt, parietem fecerunt non domum, quia non eſt alter Deus, qui alteram domum inhabitet, &c.* Vide Tom. 1. pag. 102. & ſeq.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Quid eſt hoc, quod dicit nobis, modicum? Joan. XVI.

STupebant olim diſcipuli modicum ab Incarnata Sapientia toties nempe ſepties repeti audientes, myſterium capere non valentes: unde alter ad alterum ajebat. *Quid eſt hoc, quod dicit nobis, modicum? neſcimus quid loquitur.* Noli tamen, Chriſtiane, hos ſequi, multumque mirari, cum dicitur tibi *Modicum* doloris, tribulationis, amoris Dei, & proximi æternam tibi procurare felicitatem. Noli mirari diu, ſed pie crede, & amplectendo firmiter ſpera; modicum voluptatis hujuſmodi ſpernens, *modicum* vero tibi ſupernæ patriæ procurans poſſeſſionem amplectere. Si olim Romani ſprevere temporalia, immo vitam pro conſervatione patriæ temporalis, multo magis debet Chriſtianus modicum terrenum, ac terrena ſpernere pro illa felici, ac æterna patria: *Quid magnum eſt* (inquit S. Aug. L. 5. de Civ. Dei Cap. 18.) *pro illa æterna patria cuncta hujus ſæculi quamlibet jucunda blandimenta contemnere?* Vide Tom. 1. pag. 118. & ſeq.

Quid eſt hoc, quod dicit nobis, modicum? Modicum tempus habet homo, & quidem incertum, incertum inquam, cum nec de momento certus, omni momento in manu Domini, in periculo mortis. O quot hoc experti ſunt, nequidem ſomniantes mortem, omnino ſani, & robuſti in puncto, & in momento ceciderunt in terram, inque fauces mortis! Et quanta temeritas, quod nonnulli non obſtante hac temporis incertitudine, pœnitentiam procraſtinant, a peccando deſiſtere, vitam in melius emendare de die in diem differunt, corvina voce, cras emendabo ajunt, & ſæpe hujuſmodi hodie moriuntur. Ajunt quidem Dominum miſericordem eſſe, ad remittendum ſemper promptum. Si pœnitentiam egero, remiſſionem obtinebo; verum hujuſmodi temerarios ita confundit D. Auguſt. Serm. 16. ubi inquit: *Forte dices, mihi promiſit Deus indulgentiam, quando me correxero; verum dicis; ego conſentio. . . ſed craſtinum diem quis tibi promiſit? ubi legis indulgentiam te conſecuturum, ſi te correxeris, legiſne quantum victurus ſis?* Unde patet, quod taliter confidere in miſericordia Dei, non tam confidentiam, quam præſumptionem ſapit, quæ eſt contra Spei Chriſtianæ præceptum, & eſt peccatum lethale. Vide Tom. 2. pag. 332. & ſeq.

Cognovit ergo Jeſus quia volebant eum interrogare. Nondum interrogabant Chriſtum diſcipuli, ſed ſolum cogitabant, atque interrogare volebant: equidem Dominus reſpondet, ac ſi interrogatus eſſet, & ſic prævenit interrogationem. Utique in hoc inſinuare voluit apud Dominum ſæpe voluntatem reputari pro actu, etiamſi effectus non ſequatur, tam in bono, quam in malo; unde ſibi proponens, efficaciterque volens peccatum, licet hic & nunc effectus impediatur, tamen peccati reus erit apud Dominum. Unde ait ipſe Dominus Matthæi 5. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœcha-*

chatus eſt eam in corde ſuo. Vide Tom. 2. pag. 114. & ſeq.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Expedit vobis, ut ego vadam, Joan. XVI.

EXpedit, inquit Dominus, ac ſi dicat conſolatorie, (erant enim triſtes diſcipuli ob ejus diſceſſum) nolite me tenere, nec ob diſceſſum meum contriſtari; qui enim pro ſalute veſtra deſcendi de cœlo, etiam pro ſalute veſtra aſcendo, & vado in cœlum, non ut relinquamini hic in mundo, ſed brevi me ſequamini. Ita enim allocutus ante fuerat piiſſimus Dominus diſcipulos ſuos, Jo: 14. *Vado, vobis*, inquiebat, *parare locum*... *Et ſi abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam ad vos, & accipiam vos ad me ipſum*. Unde innoteſcit ſingularis cura Chriſti Domini erga ſuos, ut omnes conſoletur, & ſalvet: unde pietate ſingulari ductus, amore divino accenſus D. Aug. Tract. 77. in Joannem ita diſcurrit, ac perorat: *Eat ergo Dominus, & paret locum, eat, ne videatur, eat, ut credatur; tunc enim locus paratur, ſi ex fide vivatur*. Vide de providentia Dei erga electos, Tom. 1. pag. 36. & ſeq.

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de Juſtitia, & de Judicio. In ſacris litteris diverſa nomina Spiritui Sancto attribuuntur, & non eſt mirum, cum & etiam ei ſint diverſæ operationes, & effectus, variaque ab eo ad homines diffluant dona. Ab operationibus ſuis vocatur Spiritus Sapientiæ, intellectus, conſilii, ſcientiæ, fortitudinis, pietatis, & timoris Dei, quia hæc dona in hominibus operatur. Unde præclare S. Aug. Lib. 15. de Trinitate Cap. 19. ait: Quod Prophetæ, & Apoſtoli de Spiritu Sancto *dona* dixerunt data hominibus, hoc ideo dixerunt, *Quia per donum, quod eſt Spiritus Sanctus, in commune omnibus membris Chriſti, multa dona, quæ ſunt quibuſcunque propria, dividuntur*, Vide de nominibus, & attributis Spiritus Sancti. Tom. 1. p. 94.

Arguet mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. Nomen Domini in vanum ſumere ſecundo decalogi præcepto ſeveriſſime prohibetur, & eodem præcepto falſo, fruſtra, & temere judicare, vel jurare inhibetur; cum per falſum juramentum non ſolum Deus, Deique nomen in vanum ſumitur, ſed etiam graviſſime læditur. Ut ergo rectum, ſanctumque ſit juramentum, tres comites neceſſario habere debet, veritatem ſcilicet, judicium, & juſtitiam, ut tradit D. Hieronymus in illud Jeremiæ 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in juſtitia*. Quicunque ergo aliter jurat, arguetur a Spiritu Sancto tanquam prævaricator ſecundi præcepti Decalogi. *Non aſſumes nomen Domini in vanum*. Vide Tom. 2. pag. 386. & ſeq.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. XVI.

CLementiſſimus Salvator nimiam ſuam in nos hodie oſtendit pietatem, cum petendi aperit viam, ac in petendo ſuggerit neceſſariam fiduciam: confidunt namque filii in auxilium, aut in adjutorium parentum, & dum paterna pulſant viſcera, pro voto impetrant. Ita ad patrem cœleſtem in nomine ſuo recurrere, ac confugere monet, ac docet nos Salvator piiſſimus in omni neceſſitate, ſicut Filii ad Patrem: non enim ſolum omnium creaturarum, ſed etiam potiſſimum omnium fidelium Pater eſt. Deus eſt, & Pater eſt. Deus poteſtate, Pater bonitate. *Quam felices ſumus, qui Dominum noſtrum Patrem invenimus*, ait S. Aug. Serm. 213. Vide Tom. 1. pag. 19. & ſeq.

Petite, & accipietis. Abſolute, & ſimpliciter ait *petite*, ac ſi diceret, confidenter accedite, in omnibus neceſſitatibus veſtris, nihil in fide, aut ſpe hæſitantes; eſt enim Deus omnipotens, omnia valet, & facit: Deus eſt, non ſolum omnipotens, ſed etiam ſumme bonus, ſumme miſericors, nulli negat gratiam, nulli auxilium, nulli ſolatium, ſed quodcunque petimus, ſi conſtantes petimus, pro voto impetramus. *Si quid petieritis Patrem, dabit vobis*. Vide de bonitate, & Miſericordia Dei, tom. 1. p. 16. & ſeq. Et omnipotentia pag. 28. & ſeq.

Petite, & accipietis. Cum non lateat Chriſto Domino noſtra egeſtas, nobiſque plurima novit valde neceſſaria, ad frequentem, ac piam adhortatur, ac commonet orationem, quæ teſte D. Damaſceno, *eſt petitio decentium a Deo*. Multa nos decent, multa dedecent: quidni piiſſimum, ac clementiſſimum Chriſti ſequemur monitum oratione pia pulſando divinas aures, cum de impetratione aſſeveratit nos Chriſtus ipſe. *Petite, & accipietis*? hinc etiam ait Salomon Eccleſiaſtici Cap. 35. *Qui adorat Deum, in oblectatione ſuſcipietur, & deprecatio illius uſque ad nubes propinquabit*. Unde etiam nos monet Apoſtolus Epiſt. 1. ad Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto JESU, in omnibus vobis*. Vide de Oratione, Tom. 2. pag. 521. 522. Quæ petenda, & pro quibus orandum 522. 523. Item de Proceſſionibus, tom. 1. p. 319. & ſeq.

Petite, & accipietis. Ad ſedulam orationem nos commonens Salvator, ſimul & fructum, ſive efficaciam inſinuat. *Petite, & accipietis*, ac ſi diceret, in oratione nolite diffidere, nec puſillanimes fieri, certi quodcunque orantes petieritis, dabitur vobis, omnia pro voto impetrabitis; aſt tamen debitis ſervatis conditionibus: variæ autem hæ conditiones; nempe, ut oratio ſit fructuoſa, ſit efficax, debet fieri, *in ſpiritu, & veritate*, debet eſſe humilis, attenta, aſſidua, perſeverans, ac conſtans, &c. Unde ait Eccleſiaſt. Cap. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet, non conſolabitur, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat*. Huc etiam non minus eleganter D. Petrus Chryſologus Serm. 39. *Omnis*, inquit, *qui petit accipit: & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur. Sed dicis, eſt quod petere poſſum, pulſare quomodo potero cœleſte ſecretum? Quemadmodum? iterando preces, & expectando judicium largitoris, moras dantem patientiſſime ſuſtinendo; quia quicunque cum ſemel pulſaverit, indignatur mox ſi non fuerit auditus, iſte non eſt petitor ſimplex, ſed impetuoſus exactor. Audi Prophetam dicentem* (Pſ. 26.) *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. Et ſi iterum diſtulerit in futurum, tu Dominum tuum patienter expecta*. Vide Tom. 2. pag. 522. & cur dicamus *Pater noſter* 536.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Aſſumptus eſt in Cœlum. Marci XVI.

COnſummato per Paſsionem, & Reſurrectionem ſuam redemptionis noſtræ myſterio Chriſtus, ut homo, in Cœlum corpore, & anima aſſumptus eſt quadrageſima die a Reſurrectione ſua; ſic aſcendit in cœlum, varias ob cauſſas, & inter alias non minus præcipuas, ut nos illuc reveheret, ac Deo Patri naturæ noſtræ offerret primitias. Aſcendit, iter ut nobis pararet, ſedem, ac locum præpararet ſupernum. Unde ipſe ad ſuos mœſtos aliquando ajebat diſcipulos, D. Joanne teſte Cap. 14. *Vado vobis parare locum*. Ubi doctiſsimus Hugo Cardinalis in illud ejuſdem D. Joannis Cap. 16. *Vado ad eum, qui miſit me*, inquit, *Vadit mentes noſtras ad ſuperna elevaturus*. Vide Tom. 1. pag. 85. & ſeq.

Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Quamvis præcipua, ac propria cauſſa fidei ſit interior Dei afflatus, quo ad aſſentiendum rebus ab eo revelatis impellimur, accedunt tamen externa quædam adminicula, quibus vel fidei ſternitur via, vel fides jam parta roboratur; ut ſunt miracula, mirabiliaque opera, quæ Dominus per prædicatores fidei operatur: ut hodierno in Evangelio ſuis vale dicens promiſit Dominus. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur*, &c. Id expertos fuiſſe a Domino Sacer hodiernus non minus atteſtatur Evangeliſta in adjecto Themate. *Illi autem*, &c. quæ Teſtimonia multum extollit Regius Vates Pſ. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Vide ampliora Tom. 1. pag. 7. & ſeq.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit Paraclitus. Joan. XV.

QUinam veri, falſive Prophetæ eſſent, ut diſcernere poſſent Diſcipuli Domini, ad arbores comparationem adduxit Dominus, quæ ex fructibus diſcernuntur, Matt. 7. *Omnis*, inquiebat, *arbor bona bonos fructus facit*... *igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Multi hodie dum conſurgunt, ſpiritum a Chriſto miſſum ſe habere autumantes, vel gloriantes; & *arbor bona bonos fructus facit*, bonum habens ſpiritum bona operatur. Ut ergo agnoſcamus ad quos ſpiritus pervenit bonus, attendendum ad fructus, quorum duodecim ſunt: ut numerat Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas, Cap. 5. Vide T. 1. pag. 189. & ſeq.

Quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis. Dignior, atque digniſsimus hoſpes non minus dignius, ac digniſsimum requirit hoſpitium. Digniſsimum nobis hodie promittit hoſpitem Chriſtus Dominus, Spiritum Sanctum, ſcilicet Patri, & Filio coæqualem, ut nos recreet, ut nos viſitet, ut nos doceat, & illuminet; quare non minus noſtri officii erit tanto, ac tali hoſpiti digniſsimo decens præparare, ac diſponere hoſpitium, ut veniens nihil reperiat Majeſtatis ſuæ oculos averſari faciens, ac diſplicens, & de immundo hoſpitio tranſire cogatur. Quæ autem hæ diſpoſitiones, vide Tom. 1. p. 97.

Spiritum veritatis. Spiritus Sanctus ſpiritus dicitur Veritatis, ſpiitus inquam veritatis: omnino enim, & ſumme amans eſt veritatis. Quare certum eſt ſpiritum mendacii, & mendaces huic ſanctiſſimo adverſari numini, conſequenter, & omni legi: unde etiam patet omne mendacium illicitum, malum, & peccatum eſſe. Vide Tom. 2. pag. 503. & ſeq.

Qui a Patre procedit. Alium Paraclitum conſolatorem cum ſuis promiſiſſet iterum, atque iterum hinc diſceſſurus Dominus, quis, qualiſve eſſet, ut innoteſceret diſcipulis, non defuit hunc deſcribere, unde ait illum conſolatorem, atque Doctorem, virtutum omnium amatorem eſſe, nec minoris poteſtatis, ac Pater, & Filius; unde hic ſubjungit: *qui a Patre procedit*; Myſterium hoc maximum aperiens Sanctiſſimæ Trinitatis: nempe, quod Spiritus Sanctus, utpote verus Deus, non factus, nec creatus, nec genitus, ut ait D. Athanaſius in ſymbolo, ſed *procedens a Patre*, Patri, Filioque ſit coæqualis. De quo ineffabili myſterio, vide Tom. 1. pag. 92. & ſeq.

DOMINICA PENTECOSTES.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Joan. XIV.

CHriſti Domini hæc promiſſio, ac locutio magnam nobis adfert conſolationem, magnum gaudium, magnam lætitiam; quod majus, magiſque honorificum excogitari poteſt, quam SS. Trinitatis Chriſtus habitaculum, & tale eligat ſibi Deus in cordibus noſtris, *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*? Sed notandum, atque bene obſervandum, Deus ter optimus maximus, etſi ſit ubique, non tamen in omnibus habitat, nec habitare affectat, ſed tantum in iis, qui igne ferventi caritatis Dei ardent, ac accenſi ſunt, viam virtutis, atque obſervantiæ mandatorum ejus ambulant, unde antequam piiſſimus Dominus promittit adventum ſuum in corde hominis una cum Patre, & Spiritu Sancto, ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c.* In nobis habitare vult, ſed niſi diligamus; in nobis manere cupit, ſed niſi ſermones ejus ſervemus. Vide Tom. 1. p. 18. & ſeqq.

Et ad eum veniemus. Veniemus, ait Chriſtus Dominus; nempe ego, & Pater, & Spiritus Sanctus: Spiritus autem Sanctus aliis Perſonis cordis noſtri templum paravit, atque adornavit, ut ſimul cum illis in templo ſuo quoque inhabitet, ac maneat, non ſolum per gratiæ, caritatis, virtutum, atque donorum ceterorum infuſionem, ſed intimam, ſubſtantivam, & perſonalem ſui Nominis inhabitationem, qua etiam nos ſanctificet. Hinc apud hodiernum Evangeliſtam c. 14. v. 16. ajebat Chriſtus: *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*... *apud vos manebit, & in vobis erit*. Vide To. 1. pag. 94. & ſeq. & de ſeptem Donis, pag. 202. & ſeqq.

Pacem meam do vobis. Ante diſceſſum ſuum, atque aſcenſum in cœlum clementiſſimus Dominus ſanctum ſe miſſurum promiſit Spiritum: quis, qualiſque eſſet, poſtquam declaravit, atque expoſuit, ſubjungit. *Pacem meam do vobis; pacem relinquo vobis*. Hoc ſermone quid aliud intimare ac ſignificare voluit, quam per pacem, atque unitatem nos digna reddi Spiritus Sancti habitacula, indigna autem per diſcordiam; eſt enim Chriſtus Princeps pacis; Spiritus Sanctus pax. Unde vere contradicunt Chriſto, & Spiritui Sancto reſiſtunt diſcordiarum ſeminatores. Vide T. 2. pag. 153. & ſeq.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Joan. 3.

EX hoc loco apparet tanto amore nobis datum eſſe Salvatorem, ut hunc iræ Dei tanquam reconciliatorem noſtrum opponamus: diffidentes noſtris meritis, atque viribus, ſalutarem infiniti pretii victimam præſentemus; Chriſtus enim in Euchariſtia non tantum eſt ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, ſed propitiatorium, & impetratorium. Unde bene D. Greg. Hom. 37. in Evangelia inter alia hæc profert, *Quoties Deo hoſtiam ſuæ Paſſionis offerimus, toties ad abſolutionem noſtram Paſſiones illius reparamus*. Vide Tom. 1. pag. 285. & ſeq.

Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum. Dogma Fidei eſt, Chriſtum pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuum eſſe, contra Calvinianam, & Janſenianam Hæreſim; quæ Catholica Fides a SS. PP. Conciliis, variorum Pontificum decretis confirmatur, atque roboratur. Unde inter ceteros S. Aug. ad præſens Tract. 12. ita diſcurrit..: *Ergo quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum: ipſe ſe interimit, qui præceptum medici obſervare non vult. Venit Salvator in mundum, quare venit? niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum: ſalvari non vis ab ipſo? ex te judicaberis*. Vide Tom. 1. pag. 70. & ſeqq.

Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Juſtitiam frequenter Solem appellare conſuevit Philoſophorum Princeps Ariſtoteles. Sed heu Sol hic a muneribus obnubilatur, ut vix in judicio perſpiciatur ſemita recta, juſta ſive executio; ſed tenebroſa, obſcura, cæca, & injuſta. Unde bene, & proh dolor! hodie dicitur de judicibus, juſtitiæ miniſtris: *Dilexerunt magis tenebras*; ideſt aurum, & argentum; *quam lucem*, quam Solem Juſtitiæ, claram, & apertam ſententiam. Væ autem hujuſmodi judicibus, & amatoribus tenebrarum, atque munerum, per hæc Solem juſtitiæ obfuſcantibus. Hinc Job Cap. 15. ait: *Congregatio hypocritæ ſterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera accipiunt*. Vide Tom. 2. p. 170.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ante eas vadit, & oves illum ſequuntur. Joan. X.

JEſus Chriſtus verus, ac divinus Paſtor boni Paſtoris officium vere, ac fideliter exercuit, cum per bona opera *ante oves*, ideſt fideles ivit, eaſque poſt ſe vocavit. *Venite poſt me*, Matt. 4. Sic ergo Chriſtianus ovis Chriſti imitetur, ſequaturque Paſtorem in ſanctitate vitæ, ut te deducat ad cœleſtia, ac felicia paſcua. Ecce adeſt auribus pio monitu Apoſtolus ad Eph. 5. *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi, & ambulate in dilectione*, non in miraculis, mirabilium operationibus, ſed bonis operibus. *In dilectione ambulate, ſicut & Chriſtus dilexit nos*. Sic monſtrabit ſe veram ovem Chriſti, ſicut ille bonum, ac verum ſe exhibuit Paſtorem; de quo vide Tom. 1. pag. 203. & ſeq.

Ante eas vadit. Paſtorum ovium eſt oves paſcere: Paſtor autem ovium paſcens eas, *ante eas vadit*, & oves ſequuntur eum. Si ergo quis bonum Paſtorum agere velit, omnem curam impendere debet, ut bono exemplo, exemplarique vita, ante eas vadat, & caveat bene, ne ſcandalo ſeducat, & perdat oves. Unde ait D. Cyrillus Alexandr. Lib. 7. in Evang. Joan. Cap. 2. *Bonus Paſtor divina electione, & canonica inſtitutione ad gregem Domini paſcendum delectus: ante oves ſuas vadit, quando ipſis proponit bonæ vitæ exemplum, quod imitentur, & per bonorum operum greſſus, iter illis oſtendit, quo debeant incedere; quemadmodum B. Paulus admonuit Timotheum, ita ſcribens:* (1. Timoth. 4.) *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplar eſto fidelium in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate*, &c. Vide Tom. 2. pag. 434. & ſeqq.

Ego ſum oſtium. Quod ſi olim ab Aſſuero Perſarum Rege conſtitutum legimus Eſther 4. Ut quicunque Regis atrium non vocatus, ſine venia, ſineque expreſſa licentia introiret, abſque indulgentiæ ſpe interficeretur: quantis putamus damnandum pœnis, abſque cœleſti vocatione Eccleſiaſticam profeſſionem intrantem, & invadentem, ac non per ſingularem Dei vocationem ſacris Ordinibus initiari petentem? Si quidem ipſe Apoſtolus ad Heb. 5. ait: *Nec Chriſtus ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu*. De quo vide Tom. 1. pag. 116. & ſeq.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Euntes docete omnes gentes. Matth. XXVIII.

EX hoc loco ſacri Evangelii apparet communis traditio, & aſſertio ſanctæ, ac Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, quod ſola ſanctificans, ſola Catholica (ideſt) univerſalis dicitur. Primo, quia per totum terrarum orbem diffuſa, dein prædicatio Evangelii juſſu, ac mandato Chriſti omnibus gentibus deſtinata. Unde Apocalypticus Evangeliſta Apocalyp. Cap. 5. ait: *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum*. De qua & dudum vaticinatus eſt Vates regius, Pſal. 58. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Vide Tom. 1. pag. 136. & ſeq.

Euntes docete omnes gentes. Priuſquam Chriſtus Dominus hominibus jubeat diſcipulos tribuere Sacramenta (quæ ad ſalutem neceſſaria, vel ſimpliciter, vel neceſſitate medii, & præcepti, vel ſola neceſſitate præcepti, non tamen omnibus, & ſingulis) gentes inſtruere, ac docere mandat. Utique ut fideles ſuſcipientes Sacramenta, ſciant, & agnoſcant quid recipiant, quomodo, qualive reverentia, ſancta aviditate ſuſcipere, retinere, quomodo curare, & ſecundum illa ſanctam vitam ducere debeant. Unde merito ſolliciti eſſe debent Sacramentorum adminiſtratores, Parochi, Concionatores, animarumque Curatores, ut in his bene erudiantur, ac inſtruantur. Hujuſmodi autem materiam inſtruendi, ac erudiendi, vide Tom. 1. pag. 121. & ſeq.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Per hæc ſacri Evangelii ore divino prolata verba forma Baptiſmatis declaratur: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus* expreſſe exprimitur; in horum enim nomine,

mine, & non nominibus baptizandi ſunt fideles. Unde baptizatio in nomine Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti ſolius irrita, & nulla eſt. Baptizationis namque eſſentia in nomine trium Perſonarum expreſſionem requirit. Inſuper in hoc ſignificatur unitas eſſentiæ, quam fides Catholica confitetur. Quod aperte docet S. Joannes Ep. 1. Cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt.* Vide T. 1. pag. 19. & 20. quomodo imago Trinitatis renovanda in nobis. Et de forma Baptiſmi Tom. 1. pag. 154. & ſeq.

Baptizantes eos. Baptiſmi Sacramentum multa nobis confert bona, magnamque gratiam, & quidem gratiam ad vitam promerendam æternam. Verum hoc potiſſimum obſervandum, quod nempe Baptiſmus omnes, & ſingulos Chriſtianos ad Chriſti imitationem, conſequenter ad bona obliget opera, nec a præceptis Eccleſiæ liberat. Quare non ſolum præcepit Dominus nos baptizare, ſed etiam appoſuit docere. *Docentes eos ſervare omnia, quæ mandavi vobis.* Unde Baptiſmus frequenter revocandus erit in memoriam hominum, ut ſtudeant vota ſervare in Baptiſmo facta. Vide Tom. 1. pag. 81. 187. 189. & 190.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Luc. VI.

HOC præcepto ſingulariter non ſolum recommendat Dominus miſericordiam, ſed eam præcipit, noſque vult in proximum eſſe miſericordes, ſicut in nos Deus, ſumme bonus, ſumme clemens, benignus, atque miſericors eſt; ut abunde atteſtatur ſacra Pagina, Pſ. 24. *Omnes viæ Domini miſericordia, & veritas.* Item Pſ. 31. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Diſcant ergo Chriſtiani, perfectioni ſi ſtudere velint; Divina attributa, Deique perfectiones frequenter contemplari, ac ad imitandum conari: cum enim homo ad imaginem Dei ſit formatus, merito conari debet Dei in ſe efformare ſimilitudinem. Vide de attributis, & perfectionibus divinis, T. 1. pag. 13. & ſeq. p. 16. & ſeq.

Nolite judicare, & non judicabimini. Quam grave, immo graviſſimum peccatum ſit temerarium judicium, & contra caritatem proximi, contraque omnem juſtitiam, & divinam, & humanam, coram Deo deteſtabile, coram homine intolerabile, atque execrandum, ex ſæpe repetita Salvatoris patet prohibitione. Hinc etiam apud D. Matt. c. 7. ait: *Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* De hoc ergo deteſtabili peccato vide Tom. 2. pag. 513.

Date, & dabitur vobis. Quid apertius dicere potuit Dominus, cum dicit, *date, & dabitur?* ac ſi dicat: vultis quidquam vobis dari a Domino? date ipſi prius quidquam; quomodo autem ipſi dare poſſitis, ſcire ſi affectatis: ſi dare vultis quidquam Deo, ſciatis id dare deberi proximo, miſero, & egenti; nam ait apud Matth. Cap. 25. *Quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Si ergo his minimis nihil dederitis in vita veſtra, nihil dabitur vobis in altera, ſed dicetur: *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum, &c.* Hinc patet, quam graviter peccent ii, qui in neceſſitate extrema conſtitutis de ſuperfluis ſubvenire, ac neceſſaria largiri recuſant. Vide Tom. 2. p. 186. 188.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea vere eſt cibus. Joan. VI.

IN ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento verum Chriſti Corpus præſens eſſe, ſicut & verum Sanguinem non tantum præſentia virtutis, atque efficaciæ, ſed ſubſtantiæ realis, Dogma non ſolum fidei eſt, ſed & abunde, tum ex ſacris litteris, tum ex SS. Patrum traditionibus comprobari poteſt. Vide Tom. 1. pag. 236. & ſeq.

Caro mea vere eſt cibus. Cum Laicis non ſit communio ſub utraque ſpecie a Chriſto præcepta, nec ad ſalutem, atque percipiendam gratiam neceſſaria; etiam Eccleſia juſtis ex cauſſis, ac motivis calicis uſum Laicis ſubtrahere potuit, atque certis, ac rectis rationibus ſubtraxit; ut Conc. Trid. ſeſſ. 21. Cap. 1. declarat. Idque probarunt, ac probant plurimi ſancti Patres, ac Doctores Eccleſiæ, tum ex ſacra pagina, tum ex antiquis traditionibus. Vide Tom. 1. p. 279. & ſeq.

Qui manducat me, ipſe vivet propter me. Chriſtum Dominum in Euchariſtiæ Sacramento vere, ac realiter contineri, vera, ac Catholica tenet fides. Hoc ergo Sacramentum pro cibo animæ reliquit, ac tribuit nobis, ut ſicut a cibo corporaliter alimur, ſic ab hoc ineffabili Sacramento ſpiritualiter aleremur. Quare ſicut in mundum viſibiliter veniens, vitam gratiæ hominibus clementer contulit; ſecundum illud Jo. 1. *Gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt:* ita in hominem inviſibiliter, ac ſacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur in nobis; atque vim confert ad æternam comparandam gloriam. Unde D. Cyrillus lib. 4. in Joann. ait; *Quoniam vivifica facta eſt caro Salvatoris, utpote vita ſecundum naturam, verbo nimirum Divino unita, cum illam deguſtabimus, tunc vitam habebimus in nobis.* Vide Tom. 1. pag. 250. & ſeq.

Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Maximus; & non minus ſummæ conſolationis hinc eluceſcit effectus, atque ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti fructus, cum ipſa ſapientia teſte, non ſolum cibus, ac alimentum eſt animæ tempore vitæ hujus, ſed & vita ſpiritualis: atque ita conſervat, ac roborat, ut mors in æternum dominari nequeat, ſed & vita redditur perpetua, felix, atque æterna. Unde ait Dominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quare merito Chriſti fideles omnino ſolliciti eſſe debent, ut non ſolum perſæpe in vita hoc cibo ſaluberrimo reficiantur, verum, vel maxime, ut hinc ad aliam migraturi, mature tanquam perſalutari viatico provideantur, ſicque temporalem vitam deſerentes, æternam, ac beatam requirant, ut varia tradidere ſacra Concilia. Vide Tom. 1. pag. 235. & ſeqq.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit Cœnam magnam. Luc. XIV.

HAnc Cœnam magnam Evangelica hac parabola traditam qui fecit, quis fuit alius quam hominum, omniumque creaturarum conditor Deus? Cœnam magnam præparavit in cœlo, magnam in terra. Hæc autem ducit ad primam. Cœna magna præparata eſt in cœlis, æternæ namque gloriæ, deliciæ; Cœna præparata in terra, de qua canit S. Mater Eccleſia: *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur!* Et hanc Cœnam nobis quotidie præparat, ac offert Deus, dum ſacratiſſimum Euchariſtiæ tribuit Sacramentum, cui Cœnæ quidquam comparari nequit. Cum autem uno verbo non poſſet demonſtrari ineffabilis excellentia hujus Sacramenti, eam ſacri Scriptores pluribus nominibus expreſſere. Vide Tom. 1. pag. 215. & ſeq.

Uxorem duxi, ideo non poſſum venire. Luxuriæ execrandæ hinc eluceſcit vis, ac malitia, cum hic ad Cœnam magnam, ac ſplendidam non ſolum vocatus, ſed iterum invitatus, per uxorem quam allegat jam nuptam, non tam ſe purgat, atque excuſat, quam omnino renuit venire. Humaniſſime alii ſe excuſant, excuſatoſque haberi flagitant, atque ſupplicant, hic autem omnis humanitatis, ac urbanitatis oblitus, abſolute, & ſimpliciter ait: *Non poſſum venire.* Juſtiſſime indignus hic præ ceteris judicatur æternas guſtare epulas, præparatamque Cœnam. Nec unquam erunt digni, neque admittentur ad felicem æternæ gloriæ præparatam Cœnam, luxuriæ incumbentes, hocque ſe intolerabili ſcelere commaculantes, atque inquinantes. Hinc Apoſtolus ad Galatas c. 5. ait: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi. Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Vide Tom. 2. pag. 215. & ſeqq.

Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Varii commemorantur ad Cœnam magnam vocati, introductique pauperes, debiles, cæci, claudi, prout in plateis obvii dati comparuere, introductique ſunt ad menſam, ad Cœnam magnam, ac ſplendidam. Talis Cœna magna eſt Euchariſtiæ Sacramentum; ad hanc magnificam Cœnam varii accedunt, diverſo modo comparent, ſcilicet malevoli, doloſi, præſumptuoſi: accedunt boni, accedunt mali, digni, & indigni, mundi, & immundi, ſed væ indigne accedentibus. Vide Tom. 1. p. 259. & ſeq. & de præparatione ad digne accedendum, pag. 266. & ſeq.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Erant appropinquantes ad Jeſum publicani, & peccatores.

VEnit Chriſtus Dominus in mundum, non ſolum ut nos perditos ſalvaret, ac redimeret diaboli captivos, ſed etiam ut formam oſtenderet perfectionum; ſunt enim in Deo maximæ perfectiones. Eſt namque Deus ſimplex, immortalis, immutabilis, immenſus, ſcientiæ infinitæ, miſericordiæ interminatæ. Cum ergo homo ab eo, ac ad imaginem ejus conditus ſit, merito etiam conari tenetur divinas imitari perfectiones, & præcipue caritatem, & miſericordiam in proximum, quarum exemplum hodierno in Evangelio perhibetur; cum Chriſtus ſummam miſericordiam, clementiam, ac benignitatem, ſicut & caritatem oſtendit erga ſibi appropinquantes peccatores; ita ut etiam invidia, ac indignatione inflati Scribæ, & Phariſæi inique deſuper murmurarint. Vide de perfectionibus Divinis imitandis Tom. 1. pag. 13. & ſeq. & pag. 16. & ſeq.

Erant appropinquantes. Indubie hi publicani, atque peccatores dum appropinquarunt ad Jeſum, firma fide veniæ, & gratiæ acceſſerunt. Sic nos, cum ad Deum accedimus, vel ſupplicando, vel deprecando, ac orando, fidem firmam, ac ſanctam conferre debemus; omnino, atque firmiter credere, Deum omnium bonorum eſſe auctorem, ac largitorem, apud ipſum veniam, & remiſſionem peccatorum, gratiam, auxilium, felicitatem & temporalem, & æternam. Unde continuo Symbolum Apoſtolorum, ſymbolum fidei ab aureo illo exordimur verbo *Credo.* Quanta autem hujus verbi vis, ac potentia ſit, vide Tom. 1. pag. 12.

Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ. Invidioſa hæc, nec minus injuſtiſſima, ac iniqua murmuratio, tanto major fuit, quanto majores erant murmuratores. *Phariſæi* quippe, & *Scribæ* legis erant Magiſtri, & tanquam juſti habebantur, & tamen contra rem piam, & juſtam *murmurabant.* Hinc D. Th. in Catena aurea, vere criminoſos appellat, eo quod cum juſti, ac legis periti haberentur, ac reputarentur, non erubeſcerent rem agere injuſtam, contraque pietatis, ac miſericordiæ opus murmurare; ſic quoque iniqua actio, ſive peccatum hodiernum majus eſſe apparet, quo major, & dignior perſona eſt peccatum committens. Unde peccatum Sacerdotis, immo cujuslibet Chriſtiani, gravius eſt, quam Paganorum, Turcarum, atque Judæorum. Hinc Richardus a S. Victore, *lib.* de poteſtate ligandi, atque ſolvendi c. 22. ait: *Quidquid ab infideli committitur, inter peccatum ignorantiæ reputatur... Criminoſus autem Chriſtianus quoniam per infidelitatis ignorantiam, nullatenus de ſuis criminibus excuſatur, in propria carne punitur, & quaſi voluntarie peccanti poſt acceptam veritatis notitiam voluntaria ſatisfactio injungitur.* Vide Tom. 2. pag. 120. & ſeq.

Peccatores recipit. En ſacer Evangeliſta commemorat teſtimonium ab inimicis, Chriſtum Dominum gratioſum, benignum, benevolum, atque miſericordem ad ſe confugientibus exhibuiſſe peccatoribus. Sic Deus ſemper eſt paratus, ac promptus ad impertiendam gratiam, immo omnibus, & ſingulis peccatoribus, etiam infidelibus largitur gratiam ſufficientem. Quare homini nulla ſupereſt cauſſa conquerendi contra Deum; ſi pereat. Vide Tom. 1. p. 76.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Aſcendens autem in unam navim. Lucæ V.

STans ſecus ſtagnum Geneſareth æternus Salvator, duas quidem vidit naves in mari; unam tamen ſolum intravit, ſcilicet Simonis Petri. Aſt quid per naviculam Petri, niſi Eccleſia intelligitur? id aperte tradit Venerabilis Beda Lib. 2. Cap. 15. in Luc. *Navis,* inquit, *Simonis eſt Eccleſia primitiva, de qua Paulus* ad Galat. 2. ait: *Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* Vidiſſe Dominum hanc navim teſtatur Evangeliſta, eſt namque navis hæc, nempe Eccleſia, aperta, & viſibilis, & non inviſibilis, ut fingunt hæretici. De hac enim ait Pſaltes Pſalm. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum,* ideſt, Eccleſiam manifeſtavit, ut explicat hunc Textum S. Aug. in Enarratione in hunc Pſalmum. *In manifeſtatione Eccleſiam ſuam, non quæ lateat, non velut opertam, ne forte fiat operta ſuper greges hæreticorum.* Vide Tom. 1. pag. 100.

In unam navim, quæ erat Simonis. In unam ſolum navim, nempe Petri, aſcendit Chriſtus, ubi Beda ſubjungit: *Bene una dicta, quia multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Eſt enim Eccleſia per navim hanc Petri figurata, una, & in ea una ſocietas, unaque communio, a qua hæretici, & ſchiſmatici excluduntur. Vide Tom. 1. p. 102. & ſeq. & de communione Sanctorum pag. 106. & ſeq.

Ut venirent, & adjuvarent eos. Poſtquam mandavit Dominus diſcipulis ad piſcandum laxare retia, hoc mandatum mox ut executioni tradiderunt, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, quare caritativum ab aliis ſociis poſtulare debuerunt auxilium, ut retia ex obedientia miſſa in mare adjutorio caritativo, & fraterno extrahere poſſent. Hinc quod eluceſcit majoris dulcedinis, ac ſolatii, quam per caritatem mutuam, & fraternam, præceptum adimpleri Divinum? Ait enim ipſa ineffabilis veritas, incarnataque ſapientia, in caritate Dei, ac proximi omnem Præcepti, ac Legis contineri adimpletionem. Juxta illud Matth. 22. *In his duobus mandatis,* (ſcilicet *diliges Deum, & proximum*) *univerſa lex pendet, & Prophetæ.* V. T. 2. p. 315.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Dictum eſt antiquis: Non occides. Matth. V.

VIx ſatis exprimi, ac deſcribi poteſt, quantum omnipotenti Deo crimen homicidii contradicit, cum omnium rerum Auctor, ac Conſervator ſit, omnes creaturas tam benigniter conſervat, in vita fovet, ac alit; homo homini audet inſidias ſtruere, vitam malevole ſurripere, quam Deus ſæpe conſervare, & prolongare cogitat, utpote auctor naturæ. Verum hoc homicidii crimen non ſolum violenta manu, ferro, vel acinace, veneno, ſimilibuſque rebus committitur: ſed etiam odio, perſecutione, inſecutione, afflictione, & diffamatione, quibus homo contriſtatus, perturbatus, ita in ſe alteratur, ut in morbum incidat, ac pereat, & quis hujus mortis cauſſa, niſi tales malevoli, ac iracundi proximorum inſecutores, & perſecutores? Unde bene ait Dominus in hoc Evangelio: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non occides... Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Vide Tom. 2. p. 444. & ſeq.

Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Divino oraculo oſtenditur non ſolum lethale crimen homicidium eſſe, quo utpote voluntario reus homo redditur Divino judicio; ſed etiam inſinuatur iram perſæpe peccatum eſſe lethale, cum per illam quoque homo reus redditur judicio. Unde ab ira maxime alienos eſſe diſcipulos ſuos voluit Chriſtus Dominus, quos exemplo ſuo ad manſuetudinem, ac patientiam reflectere paterne monuit, *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde;* & Luc. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Apoſtolus vero Magiſtri ſui præcepta Chriſtianis inculcare volens, ac ab ira avertere ſtudens ad Epheſ. 4. ait: *Obſecro vos .... ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, manſuetudine ... Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram ... omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur a vobis.* Vide Tom. 2. p. 266. & ſeq.

Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Etiamſi aliquando contumelia, vel convitium in proximum poſſit eſſe peccatum veniale, ſi tamen animo dedecorandi proximum, honoremque ejus violandi proferatur, omnino lethale peccatum erit: cum juxta hujus Evangelii, ac Chriſti Domini ſermonem ignem gehennæ mereatur, ſive æternam damnationem, quam per peccatum veniale non meretur. Unde etiam Apoſt. ad Rom. 1. inter crimina, quibus Ethnici, & a Deo deſerti abundant, ob quæ & morte digni, contumeliam numerat: *contumelioſos, & ſuperbos.* Vide Tom. 2. pag. 272. & ſeq.

Vade prius reconciliari fratri tuo. In libro Geneſis duo primo ſacrificantes legimus, Abel ſcilicet, & Cain. Abelis ſacrificium acceptum fuit Deo, minus autem Caini, cum hoc deſpectum, ac rejectum ab oculis Domini fuit. Sed cur hoc? cauſſam, ac rationem notat D. Aug. in Epiſt. 1. Joannis Cap. 11. Tract. VI. Quod ſcilicet cum ſacrificio Abelis fuerit caritas, cum Caini vero invidia, atque odium fraternum; hinc caritatis ſacrificium ſemper Deo gratum eſt, ingratum autem cum odio, ac invidia fraterna. *Non intendit Deus ad manus* (Verba ſunt Sancti Patris) *ſed in corde vidit, & quem vidit cum caritate offerre, ipſius ſacrificium reſpexit; quem vidit cum invidia offerre, ab ipſius ſacrificio oculos avertit. Opera ergo bona Abel non dicit niſi caritatem: opera mala Cain non dicit niſi odium fraternum.* Unde ſatis apparet indignos ad ſacramentalem abſolutionem obtinendam; ſacramque Euchariſtiam ſuſcipiendam, odium fraternum in corde reſervantes. Vide Tom. 2. pag. 269.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Miſereor ſuper turbam. Marci VII.

CÆleſtis Magiſter potens in opere, & ſermone, inter alia præcipue opus docuit miſericordiæ frequenter exercere, idque non ſolum verbo, ſed & opere tradit, ut non ſolum ſequeremur verba, ſed opera ejus. Magnum vere hodie exercuit opus miſericordiæ, & ſpirituale, & corporale, cum populum ſe ſequentem poſtquam cibavit ſpirituali cibo, ſalutari nempe doctrina, tandem perſpiciens corporalem adeſſe egeſtatem, cibum deficere temporalem, *Miſereor,* ſubjungit, *ſuper turbam,* ſicque commiſeratione tactus, miraculoſe omnes corporaliter cibavit, ac refecit. Monentur hinc Chriſtiani opera miſericordiæ in proximum frequenter exercere, præcipue vero in extremo egentes, ad quod etiam ſub lethali culpa ligantur. Hinc S. Baſil. ſerm. 11. in divitem, ita affatur operum miſericordiæ contemptorem: *Quid reſpondebis,* inquit, *Judici, tu qui parietes veſtis, hominem nudum ſinis? qui equum ornas, fratrem in turpi amictu contemnis; qui frumentum putreſcere ſinis, eſurientes non nutris? qui non operuiſti nudum, repudiaberis a regno: non dediſti panem, non accipies vitam æternam.* Hinc quoque ſubjungit D. Greg. Nazianzen. Orat. XV. de pauperibus amandis. *Miſericordia timiditatem, Dei metus mollitiem vincat. Ne fratrem deſpicias.* Vide Tom. 3. pag. 195. & ſeqq.

Nec habent, quod manducent. Miſericordiæ cum aperuit oculos Dominus, panem neceſſarium ad ſuſtentandum deeſſe notavit, unde hac in neceſſitate ſubvenire cogitabat, ſine enim pane populus diutius ſubſiſtere non valebat. *Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via.* Nec minus nos pane quotidiano tam ſpirituali, quam corporali carere diu valemus; unde & ad cœleſtem, largiſſimumque diſpenſatorem frequenter recurrere debemus; ſiquidem ille, qui hodie quatuor millia hominum miraculoſe, ac ſuperabundanter cibavit, de pane quotidiano ſupplicare, ac orare docuit. Matth. VI.